lorum angelorū officio q̄etus accipies. ¶ Di
ſcipulus. Delectabit auditio.

# Sequitur ſecunda

partitio de cuſtodia angelorū. ⁊ fallacijs de
monū p notulas. l.

Depoſuit potētes de ſede. et ex/
altauit humiles ¶ Diſcipulus
d In h heri ſtetimus. in h rur/
ſus aduenio poſt ipletū canōi
ce inſtitutōis officiū. auditur⁹
teſiē es pollicit⁹ locutu ꝝ. ¶ Mgr Si p po
tētes d ſede depoſitos dignitatꝫ/intelligim⁹
apoſtatas angelos. ₎ſeq̄ns ē vt exaltati hūi
les accipiant̄ angeli boni/i ſede felicitatꝫ eter
nal'r exaltati. Si malignitas inuida demo/
nū circuīt ⁊ ipellit hoīes ad ruinā viatores. ſi
p eos fiunt immiſſiōes male. vult oppoſita
charitas beatoꝝ angelorū fieri qđ dic̄ i pſ.
Immittet angelos dn̄i i circuitu timētiū eū
Ad q̄d: Ut eripiat eos. Habet lr̄a Hiero/
nymi ſ̄m hebreū. Circūdat angelus dn̄i in
gyro timētes eū vt eruat eos. Audis circūi/
tū malū. audis ⁊ gyrū bonū. imiſſionē. ſ. bo
e nā ⁊ malā. ¶ Dat̄ omib⁹ ad exercitiū circūit⁹
ſathane q̄rentis vt deuoret. Circūdat ange/
lus dn̄i i gyro timētes eū vt adiuuet ⁊ ſaluet
Exaltat demon ad ruinā. q₂ p ſupbiā. Exal
tat angelus bonus ad gloriā ⁊ ad vitā. q₂ p
humilitatē. Eſt nāqꝫ exaltatio q̄ cauſat hūi/
liationē. ſed vtraqꝫ mala depmēs ⁊ dānans
Eſt optata exaltatio humil'. ⁊ hūiliatio exal
tās. q₂ penitēs ⁊ ſaluās. Si bn̄ te hūiliaue/
ris/bn̄ exaltauerꝫ. Si te humiliauerꝫ ad pe
nitētiā/habes veniā et exaltaris ad gl'iam.
Sūt hoſtiles nob' iſidie p depoſitos a ſede.
ſunt excubie celeſtes p nob' pſ̄es ne timeam⁹
Meren̄t (vt aliq̄ tradunt) angeli ſuā quā iā
hn̄t btitudinē miſtrādo hoīb⁹. Cōgaudent
eis. certū ē dū ſaluant̄. Gaudiū eſt angel' dei
(teſtat̄ xp̄s) ſup vno pctōre pn̄iā agēte. q̄nto
mag' ſup vno iuſto pniam nō deſerēte. ¶ Ve
xillū ſathane cū pdito exercitu ſe defert i fide
lis temeritas. Crux fidel' ſeu crucꝫ hūilitas
Uexillū ē angeli dn̄i. q̄ circūdat i gyro timē
tes eū vt eruat eos. Hec ē victoria q̄ vincit
mundū (teſte dilecto dn̄i) fides nr̄a. Petrus
q̄ꝫ pnceps vexillū h iubet erigi ₎ diabolū. q̄
circūit q̄rēs quē deuoret. cui reſiſtite fortes
i fide. Sil'is eſt apl'i (nō ignorantis aſtutias
ſathane) ſn̄ia. ſub metaphora ſcuti. In oīb⁹
ait ſumētes ſcutū fidei. i q̄ poſſitꝫ oīa tela ne
q̄ſſimi ignea extinguere. Scutū iſtud nūq̄d
nō ē vitas fidei. de q̄ pſ. Scuto circūdabit
te vitas ei⁹. Sequit̄ mult⁹ effectus victorie
p diſcurſū pſalmi p totum. ¶ Interrogauit
me pdē vgo grādeua pbatiſſime ⁊ deuotiſſi
me vite. noīe Agnes. ppinq̄ quondā Urba
ni pape. v. Qđ ē potiſſimū ₎tra diaboli tem
ptatōes ſubſidiū: Dū ſuſpenderē ego cogi/
tabund⁹ rn̄ſionē. Ipa ſubitulit mox. Crux
Suſcepi primus hāc vocē q̄ſi de celo ſonu
iſſet. ⁊ ita ſonuerat. Ego eñ etiā atqꝫ etiam/
multis iā annis mecū reputās. ₎ferēs inſup
cum alijs/nō inuenio ₎pendioſius/non effi
cacius antidotū. Quare: Quia nullū humi
lius. nullū inſup arrogātie diaboli mag' ad
uerſum. nullū qđ ita ipm ₎ſtrauerit. O crux
ſignū triumphale. clamat eccl'iaſtica pſa. Et
i hymno. O crux aue ſpes vnica. Et iteꝝ ec
cleſia. Ecce crucem dn̄i fugite ptes aduerſe
Et apl's. Mihi autē abſit gl'iari. niſi i cruce
dn̄i noſtri ieſu xp̄i. Sileo interim de pbatiſ
ſimis miracul'. q₂ nota ſūt ſatꝫ. In ₎ſtātino.
In eraclio. In iuſtina. In xp̄ofero. In iu/
deo cruce ſignato/cū ceterꝫ multꝫ. Suadet
ob hinc Hiero. Euſtochio/ad oēm greſſū
pingere crucꝫ ſignū. Et Criſogon⁹ ad Ana
ſtaſiā carcere clauſā. Tu aūt ancilla xp̄i tro/
pheū crucꝫ tota mēte ₎ſtringe. ¶ Accipiatur h
breuis ars crucis ad victoriā viciorū. nō ad
ppetrationē malorū. qualiter i militarib⁹ in
ſignijs gerunt aliq̄ nō deuotione humili ſed
ſacrilega tyrannide dn̄andi. Impellerꝫ o aīa

xpiana ſupba ſape vel qrere. crux apponat̃ p
tinus corde. voce vel opis ſignatōne. Quid
eñ magis ē ſupbie inimicuꝫ? Inuidia vult
obrepe. viruſqꝫ ſuū aīo ſpargere. crux tyria/
ca fiet efficaciſſima. Crux omnē ire vel rāco
ris amaritudinem dulcorabit. Crux reddet
ↄtra deſidiā ſtrēnuū. Contra cupiditatē ef/
ficiet pauperē ſpū. Crux gule ſimł̃ ꝛ luxurie
febres acutiſſimas tēperabit. Una oīm cō/
munis ē rō. qꝛ pendēs in ea crucifixit peſtes
iſtas oēs/ triumphās ī corpe ſuo xps ¶ Hoc
ē ſignū thau. q̄ ſignatos angelus extermina
tor pcutere nō ſinit̃. ſaluat potius et ꝓtegit.
ſi tñ corde fideli cruci iſti ↄſentiat. Alioquin
mēdax angelus ꝛ mēdacīj pr̄/ arripit qḋ ſuū
ē. Sicut moyſes exaltauit ſerpentē ī deſerto.
ſic exaltatus ē filius hoīs prudēs vt ſerpēs.
Curabant̃ a ſerpētibꝫ pcuſſi enei ſerpētis in/
ſpectores. Aſpice ſerpentē hūc p ſil'itudine
ſine veneno culpe xpm pēdentē ī cruce. fidel'
eius a morſibꝫ temptationū ne te perimāt/ li
berabit. Hinc de Luca canit eccl'ia. qꝛ cruc'
mortificationē iugiter ī ſuo corpe portauit.
Hinc apl's ait. Chriſto confixus ſum cruci
Hinc Andreas letus ꝛ alacer/ ibat ad crucē
Hinc rurſus paulus. nihil me iudicaui ſcire
inter vos niſi Jeſum xpm ꝛ hunc crucifixū.
hec humilitas ſua fuit hec exaltatio. Et ſm
menſurā humilitatis dabit̃ ſublimitas exal
tationis. Propterea tu cuius humilitatē p/
fūdiorē oīm̄ibꝫ reſpexit dñs virgo beata me/
rito gloriaris ſup omnes in exaltatione tua.
Nolo tamen putauerit aliquis lignū crucis
vt lignū ē adorandū. ſicut nec ē ens diuinū
ꝛ ſummū quo ſit fruendū. qḋ ſit ſup oīa dili
gendum. Sciunt hec fideles. ſciunt et phi
omnes. Nihil habet lignū crucis diuinita/
tis etiā in qua pependit dñs. ſed in cruce tā/
q̄ꝫ in ſigno ſurgit fides noſtra ad dñm noſtꝝ
Jeſum chriſtum deū verum. qui ſalutē no/
ſtrā opatus ē in ea. Sic de imaginū venera
tōe vetus habet doctorū determīatio. Sic
p figurā ſignū accipit̃ pro ſignato. vt nomē
J pro nominato. imago pro imaginato. ¶ Di
ces forte mihi. nūquid non in homine. pſer/
tim in Maria virgine/ verior ꝛ expſſior ē ima
go beatiſſime trinitatis? Sed ꝛ ipſe demon
retinet hanc eſſentialem imaginē. Aſinus p
inde cui chriſtus inſedit/ cur nō adorat̃? Re
ſpondebo primitus ſub vna generali verita
te/ de re qualibet indiſtincte. Non eſt aliqua
res/ quantumlibet etiā vilis appareat. quin
ex eius ↄſideratione poſſit anim⁹ fidelis ele/
uari ad magnificationē et orationē dei. Rō.
qꝛ a qualibet tanq̄ꝫ a ſigno pōt a poſteriori
veſtigari vel inquiri maieſtas dei. ſempiter/
na quoqꝫ virtus eius ꝛ diuinitas. ab alijs q̄
dem clarius. ab alijs obſcurius ¶ Porro mi
nus hꝫ de piculo ſcādali ꝛ idolatrie (teſte btō
Dionyſio) ſi noiet̃ deus infimis nomibꝫ cre
aturaꝝ viliū p metaphorā ꝛ ſymbolū. q̄ꝫ ſi fi
at ħ de rebꝫ dignitatē habentibꝫ/ quales ſunt
angeli. quales ſunt homines ratione pditi.
Quis eñ crediderit qꝫ deus ſit eſſentialit̃ la/
pis aut vermis? Confundit̃ nihilomin⁹ ido
latria. quecunqꝫ fuerit circa creaturā aliquā
ſeu de creatura. qꝛ nō refert totum hoiem ad
deū/ ſiſtens in auxilio creature. maxime duꝫ
hec facere prohibet̃. Habet ṽgo bñdicta ſā
ctitatis ꝓuilegia. habent et homines ī digni
tatibus cōſtituti. quorū ↄſideratiōe pticipa
tiue ſolū ꝛ p analogiā dicunt̃ honorādi. ſed
ſub deo. cui veraciter ſoli debet̃ honor ꝛ glo
ria ¶ Deniqꝫ vitamus ſcandalū vł' irriſionē
infideliū aut ſimpliciuꝫ/ ſi coleret̃ aſin⁹ ſicut
colit̃ crux. Nō eñ eque faciliter honorē re/
ferrent ad prothotypū. id eſt ad ſignatū chri
ſtum. nec ad redemptionis noſtre myſteriū.
quemadmodū fit de cruce. ¶ Crux humilis
mox vt in memoria venerit anime fidelis/ ſit
hoc viſu. ſit cogitatu. ſit auditu. quid aliud
ſignat. quid aliud p ſignū ſeu ſignationē in/
tellectui repſentat/ q̄ꝫ dñm noſtrū Jeſuꝫ chri
ſtū. in quo ē ſalus. vita et reſurrectio noſtra.
p quē ſaluati ꝛ liberati ſumus? Hec ideo cō
ſonāt ꝓpoſito noſtro. qꝛ vincere docent nos
de impulſore noſtro. ¶ Crux humil' memo/
riter intellecta liberationem ſignat. vitam et
ſalutem. Ipſa conſolationē. ꝛ ex conſequen
ti gloriā et exultationē ſi gratus ſit animus
operatur. ¶ Crux humilis hominē collocat
ꝛ recumbere facit ī nouiſſimo loco. quo nul/
lus cogitari poteſt inferior. qꝛ nouiſſim⁹ vi/
rorū pendet in ea. Sic recogitatus. credit⁹
ſperatus ꝛ amatus/ qui nos inuitauit/ dicet
Amice aſcende ſupius. et erit nobis gloria.
¶ Crux ſicut humiliat in pfundiſſimo loco.
ſic exaltat ī ſummo. Nō eñ mentit̃ nr̄a pſal
tes. Et exaltauit humiles. ¶ Gloria crucis ꝛ
exaltatio ſimul cū exultatione. tāto verior ē
ſolidior atqꝫ iocūdior. quāto minus habꝫ d̄
creaturarū vanitate. ¶ Gloria crucis fit ī cō
firmationis ſacramento ꝛ alijs myſterijs d̄
oleo ſimul ꝛ balſamo. qñqꝫ de oleo ſolo ſꝫ ſa
crato. vt qui conſiderat penā in cruce/ conſo
let̃ ex intima ſpūſſancti vnctione. ¶ Gloria

crucis facit inſignẽ xpianũ/dũ oleo leticie li
nit ipm ex noie. Eſt em̃ xps ꝑ interpretationẽ
vnctus. Reges aũt. ſacerdotes. pphete ꝛ pu
giles inungunt pſco more. ¶ Gloria crucis
nõ conſtanter retinet ꝛ pdicat/ſi nõ ad cruciſ
ignominiã. paſſionẽ ꝛ tolerantiã anim⁹ pre/
parat. Non em̃ natura compatit vt duo fi/
nes principales ꝛ vltimi ſimul intẽdant/pre
ſertim contrarij. Quid autẽ vane glorie. q̇d
auaricie. quid libidini/plus q̃ ipa crux repe
R rit aduerſum. ¶ Sunt qui ſub nomĩe chri/
ſtianitatis arbitrant ſe magnificare dñm. q̇
crucifigunt in ſe rurſus filiũ dei ꝛ habẽt oſtẽ
ui. qui guſtauerunt verbũ dei bonũ ꝛ ṽtu/
tes futuri ſeculi. ſed ꝑ apoſtaſie ſupbiaꝫ pro
lapſi ſunt. quos impoſſibile(ꝑ difficile dicit
apl's)eſt rurſus renouari ad pniam. vel certe
ſumit hic renouatio baptiſmalis/quã ↄſtat
iterari nõ poſſe. ¶ Glorietur frater humilis in
exaltatione ſua ꝑ crucẽ. mores inſup ſm no/
men xpiani vitãq̃ ↄponat. Sit pma ſit vlti
ma ſit tota laus tua. O aĩa deuota. dic ſil' et
pſitere. xpiana ſũ. Sic em̃ magnificas dñꝫ.
accipe rurſus. ¶ Exaltatio crucis xpi tota my
ſterijs plena refulget. Eſt in ea lõgitudo. la
titudo. ſublimitas ꝛ pfundũ. longitudo eter
nitatis. latitudo charitatis. ſublimitas ma/
ieſtatis. profundũ ſapientie iudicãtis. Ha/
bet crux excelſa ſil' ꝛ humil' mediũ. cui ſurſũ
deorſuꝫ. dextrorſũ. ſiniſtrorſũ ↄiũgunt. ꝛ in
h medio ihs tot⁹ effluẽs et affluens miſcdie
viſceribꝫ. Vñ ſi eidẽ fidẽ affixeris tuã/radia
bit ſurſũ amor. dextrorſũ ſpes. ſiniſtrorſũ ti
mor. ꝛ deorſũ dolor. q̇ ſũt aĩe q̃ttuor pncipa/
les affectões. ſm q̃s bñ ↄparatas ꝛ ordĩatas ẽ
oĩs armonia ſpũal'. Exerceat te ſup his tra/
ditio de cãticis. ¶ Cõuerſus ad crucẽ pie mẽ
tis ocul' lachrimoſis. inſpicias extẽſuꝫ in h
ligno ſanctiſſimũ corp⁹ ieſu ſicut tympanuꝫ
vel cytharã. vñ ptulit voces ſuas ĩ ſympho/
nia diuis auribꝫ gratiſſimas. p ĩimicis pmã.
ad latronẽ ſcdam. fuit ad matrẽ tercia. ad di
ſcipulũ quarta. ad patrẽ q̇nta. p ſeipo ſexta.
p ↄſummatiõe redẽptõis ſeptima. p ſuo trã
ſitu octaua. Ita factus obediẽs pñi vſq̃ ad
mortẽ. dedit fidelibꝫ ſuis pfectũ humil' obe/
diẽtie necnõ pietatis documentũ. Eſt auteꝫ
humiliatio ꝑ obedientiaꝫ exaltatio Triplex
eſt in genere q̇ ſub arbore crucis exercet hũi/
liatio. penitẽtial'. ſacramẽtal'. ſupnaturalis.
ſm tres ſtat⁹. incipientiũ. proficientiũ et pfe
ctoꝝ. ſuadet rex ipe dauid dare pſalmũ iocũ
dũ cũ cythara ¶ Eſt aũt cythara penitẽtiũ q̇
ſuit ĩ luctu ĩ pſalterij ſolatiũ. Tradit expoſi
tor vnus cytharã qua dauid adhuc paſtor ꝛ
pſallẽs corã ſaul expellebat ab eo ſpm̃ dñi
malũ pdidiſſe ſignũ crucis Iubet apud pro
phetã aĩa peccatrix ſumere cytharã ꝛ bñ ca
nere. Cãtus iſte puto lamẽtatõis ẽ pnialis.
de quo ps. Confitebor tibi in cythara deus
meus. ¶ Ita demũ ↄſonat pſalterio iocũdo
interne leticie. ita ſub alio typo ↄſonat philo
mene modul' turturis ſuſpiriũ. Ita ſpũs nr
vexatus ab angelo dñi malo/meli⁹ hꝫ. Ita
(ſi de poeticis aliq̇d miſceri placet) Orphe⁹
furias mitigat ĩfernales. i. furioſas ſuas paſ
ſiones. q̇ quidẽ potẽtes nimis deponunt de
ſede cordis. ꝛ humiles exaltãt affectiões pie
mentis. Cõponebat ad cythare modos py
thagoras mot⁹ ſuos. Et ad excitatioꝫ pphe
tici ſpũs pſaltẽ adhibuit heliſe⁹. hec d crucis
auxilio ↄ demonis impulſus generales tan
tũdẽ dicta ſunt/ſil' ꝛ angeloꝝ pſidio. ¶ Cete L
rũ q: ꝑiculoꝝ ꝑticularũ aĩaduerſio pl⁹ hor/
ret ꝛ vitat. plus inſup liberator imploratur.
gratior deniq̃ fit miſcdia liberãtis. expediẽs
iudicaui ꝑticularibꝫ mouẽdis intẽdere. niſi
tũ aliter cẽſueris frater. ¶ Diſcipulus. Im
mo vere cupidus ꝛ attent⁹ ſicut hacten⁹ au/
ſcultabo/q̇ſq̃ petiueris a me ṽbũ. ¶ Ma/
giſter. Fit impulſus angelic⁹ ṽtuoſe. ſapi
enter ꝛ benigne. quatin⁹ hũiles exaltent. At
uero depoſit⁹ iſte de ſede diabolus/deorſuꝫ
fluẽs ſathanas. ſatagit hoĩes deponere vio
lenter. fraudulẽter ꝛ maligne. Violẽtia cerni
tur in obſeſſis. Fraus ṽo dũ ſpecie bona. ſa
lubris ꝛ ṽtuoſi conſilij q̃ſi moral' phs dolo
ſe impellit. Paucos accipe modos ex innu/
meris. ꝛ vt ſit aliq̇s ordo in nõ habentibꝫ or
dinẽ/ſed ↄfuſionẽ babylonicã. dicẽda ꝑ qua
ternaria ſeu ꝑ tetrades partiemur. ¶ Deteſta
tur q̃nq̃ ſupbiã patentẽ. ſed vt ĩ deteriorem
ſub inuolutro ficte humilitatis pcipitꝫ. Nã
eſt qui ſe neq̇ter humiliat. Et rurſus ait ſa/
thanas. Noli humilis eſſe ĩ ſapientia tua. q̇/
tinus inſipienter exaltet. Deteſtat pſumptio
neꝫ ꝛ timorẽ laudat. quatinus ingerat timo
ris ſcrupulos vbi nõ eſt timor. vt ablata pa/
ce cordis recedat iſte cuius locus eſt in pace
Deteſtat inobedientiã/vt peccati ſeruituteꝫ
inducat. ꝛ aſininã patientiã q̃ fert nõ ferẽ/
da. quales notabat apl's eſſe corinthios. Fe
fellit innumeros nequã iſte. qui ſub velamẽ
to obedientie nephãda ꝑpetrarũt quaſi pec
care nõ poſſent. q: nõ habent velle vel nolle
iuxta verbũ ſuũ. Deteſtat ſupſtitiões q̃nq̃

manifeſtas.ſed nō occultas ꝛ obumbꝛatas
ſanctis obſeruationibꝫ. In ieiunijs.ī ꝟgini
tate.in ſanctis oꝛōnibus ſupſtitōnes impel
lit. ¶ Proinde cur fuit ꝑma demonis vox et
interrogatio: Cur inqͣt precepit vobis dn̄s:
Utiꝰ frequentiſſime cur iſto. quatinꝰ homi
nes in curioſitatis noxie laq̄os cadāt. Cur
fecit deus rōnales creaturas/quas ꝑſciebat
foꝛe peccaturas ꝛ damnādas: Cur eas deꝰ
tales nō condidit qui peccare non poſſent:
Cur delectaꝛ in ꝑditione viuentiū: Qō in
de ſibi lucrū creſcit: Nūquid nō melius eēt
vniuerſis/ſi peccatis omnibꝫ ablatis rema
nerent ī ſolo decoꝛe virtutū: cur indurat ali
quos ꝛ alioꝛū miſeretꝛ: cur acceptio ꝑſonarū
repiꝛ apud ipm̄: cur nō citiꝰ venit ad hoīes
redimēdos. ꝛ legē veterē quā dederat ī ſedꝰ
eternū/ꝑ aliā ꝯmutauit: cur tot abſqꝫ baptiſ
mo innocentes. tot ī inſulis ſine legis audi
tu viuētes. tot q̄ ſaluarentꝛ ſi bonis doctriniſ
ꝛ ſocietatibꝫ inſtruerentꝛ/ꝑire ꝑmittit et dimi
ſit: Scit iſte nequā ꝙ ꝑſcrutatoꝛ maieſtatiſ
oppꝛimetꝛ a gloꝛia. Scit hoīem ꝓhibitū. ne
D ī pluribꝫ dei opibꝫ fuerit curioſus ¶ Culpat
hypocriſim. ſed vt hoīes abſqꝫ honeſtatꝭ ve
lo ꝑpetrēt mala/laudat ſimplicē cum verecū
dia ſctā. q̄tinꝰ hypocriſis fictōes introducat
Culpat inuidiā ꝛ benignitatē laudat. ſed vt
malignitas īꝓba nocētiū foueatꝛ Culpat
ecōtrario iniq̄tates alioꝝ. vt ꝑſonale odiū ꝯ
fraternā charitatē ſuſcitetꝛ. Culpat iratos. ſꝫ
vt zelū ſctm̄ abijciat. Laudat zelū ſctm̄ q̄ ꝑ
ceps ira furiat. Culpat inertiā. ſed vt inquie
tudo plꝰ equo laborioſa fatiget Laudat qui
etē ſanctā. ſed vt ī ſterquilinū toꝛpētis iner
tie deijciat. Oſtēdit odibilē auariciā. ꝛ ꝙ ni
hil nequius q̄ amare pecuniā/ſed vt ꝓdiga
litatē ꝯſumptōe oīm cū rapinis introducat
Pulcrā dicit ꝛ amabilē frugalitatē. vt tena
citati locū paret. Oſtendit quātas gignit in
firmitates gula. ſed vt ꝑiculoſioꝛē vacuitatē
capitis ꝛ coꝛꝑis/abſqꝫ remedio opetur Lau
dat omnia ſana eſſe ſanis. ꝛ nihil eſſe reijcien
dum/quod cū gratiarū actione accipitꝛ. vt a
tēperantia fallat abducat. Oſtendit q̄ feda
ſit luxuria. q̄ vilis. nec honoꝛe digna. vt ꝯiu
gioꝝ iura contaminet. Laudat ꝓlificatio
nē. immo iubet ꝑ illud. Creſcite ꝛ multiplica
mini. quatinꝰ ꝯcubinatū licere demonſtret.
Oñdit nō eſſe iurandū. Sit inqͣt ſermo vr̄ ē
eſt. nō nō. vt deteſtetꝛ om̄e iuramentū. Dicit
ex aduerſo. Qui bn̄ iurat bn̄ credit. vt periu
ria vel ꝯtumelias nominis dei multiplicet.

¶ Circuīt iſte ſathan terrā/ꝛ ꝑambulat eam.
vt circūſtātias oīm ꝯſideret. Quis. q̄d. vbi.
quibꝫ auxilijs. cur. quō. q̄n̄. Tēdit laqueos ī
quos impellat multos valde. vt ſi fuerit ali
q̄s ab vno liberatꝰ/cadat in alteꝝ. Facit ad
h̄ Macharij narratio de populꝰ. Nō enī ſe
mel victus ceſſat. ſicut opinatꝰ eſt Oꝛigenes
Itaqꝫ ꝯſiderat dū circuīt. et obſeruat volen
tes placere deo. Uidet aptū aliquē ad reli
gionis ingreſſū. Impellit ad oppoſitū ſic
illudēs. Cur ciuilē vis deſerere ꝯuerſatiōē.
q̄m homo natura ciuile aīal eſt. homīes ho
minū gratia facti ſunt. vt ſe mutuo iuuēt. ſi
cut pecoꝛa vt hoībꝫ ſeruiāt. Ue ſoli. Cur nō
poteris ſub habitu ſeculari ſalutē tuā opari
ſub vno abbate tuo xp̄o: Gaudeas lege lib
tatꝭ quā dedit tibi deus/ꝛ emit xp̄us. Quid
pulcrius: q̄d eligibilius libertate: Cur tot ꝛ
tales vis ſubire obſeruationes. ꝛ vota ſuper
te inducere/q̄ nō ſufficis ad p̄cepta ſeruāda:
Quid ſunt obligationes tot/niſi laquei toti
dem ad trāſgreſſoꝛes: Uide ne illaqueatꝰ ꝟ
bis oꝛis tui cadas. Diſplicet enī deo ſtulta ꝛ
infidelis ꝓmiſſio. Ecce quot. quales ī religi
onibꝫ defecerūt: q̄t ceciderūt: q̄t apoſtate re
tro abierūt: Cur nō vis talentū tibi creditū
in his ꝛ ī alijs gratijs multiplicare: Ut quid
ꝑditio hec eſſet in religionis ingreſſu ſiue ſo
litudine: ¶ Celat ꝑditus iſte laqueos in ſecu A
lo. fit iſte qui ſaluandus fuerat in religione ꝑ
ditus in ſeculari ꝯuerſatione. ſit ſecularꝭ. cō
iungitꝛ vxoꝛi. Heu quos illic laqueos tribu
lationū nō inuenit: Naſcuntꝛ filij/alia cura.
ſi pꝛocat vxoꝛ. grauis. magnifica. ſi ſterilis.
ſi feda. ſi lubꝛica. O quale ſuppliciū. Sit de
militia/aut ꝺ curialiū numero. quot illic cu
ris inuoluitꝛ: Primitꝰ erit dulcis inexperto/
cultura potētis amici. Expertus metuet. inui
diā nō tolerabit. Sit opoꝛtet aſſentatoꝛ ad
oīa: ſit miſer/viuēs. doꝛmiēs. comedēs ad al
teriꝰ arbitriū. Sit cauſidicꝰ aut p̄ticꝰ ī phi
ſica. fraudes mille ſpargentꝛ ī p̄ticatōe. Dū
q̄rit diues fieri/incidet ī deſideria multa ꝛ la
queos/quibus mergatꝛ ī interitū. Sit bn̄fi
ciatus in eccl'ia ꝛ celebs. cauendū ſibi erit a
retibꝫ ſimonie. a negligētia ſeruitij. a luxuria
ab inerti ꝯuerſatōe. a dilapidatiōe bonoꝝ ec
cleſie. ¶ Circuīt ꝛ ꝯſiderat ſathan iſte alterū
quē ex inſtabilitate ꝓpꝛia vel infirmitate co
gnoſcit ad religionis aut ſolitudīs vitā inex
ptū. Uide ait quāta ſit religionis. quanta ſo
litudinis ꝑfectio. vacare ſoli deo. ſalutē ſuā
opari. Quid prodeſt homini ſi vniuerſū mū

dum lucret᷑. anime ꝓ ſue detrimentũ patia
tur: Uide quantuꝫ totus mũdus ĩ maligno
poſitus ẽ. ꝙ̃ breuis vita. ꝙ̃ mors incerta. q̃
tormenta inferni: que gaudia paradiſi: Ui/
de ne ꝓcraſtines. nec conſilia multoꝝ ꝓſertim
domeſticoꝝ ⁊ ſeculariũ queras. Inimici ho
minis domeſtici eius. et aĩalis hõ nõ ꝑcipit
q̃ dei ſunt. Res certa ẽ. De ſol' incert̃ haben
dũ ẽ ꝯſiliũ. Dicere ꝙ religionis ſtat⁹ nõ ſit ꝑ
fectior / hereſis ẽ. Magna ꝓ ſtulticia ẽ nol
le eſſe ꝑfectũ. Quid heſitas: q̇d tergiuerſar̃:
Uocat te de⁹ ꝑ inſpiratiões iſtas. quid in te
ſtas ⁊ nõ ſtas: ꝓijce te in eũ. et ipſe te ſuſcipi/
et. neq̃ deſeret iã ſuſceptũ. Uide nunc paupꝫ
homũcio dũ ꝯpũgeris corde. fac votuꝫ deo
celi. firmet te iuramentuꝫ. Felix neceſſitas q̃
ducit in melius. Scineris opus cum voto
deo eẽ acceptabili⁹. Da totã arborẽ volũta/
tis tue cũ fructib⁹ ſuis deo tuo. Deniq̃ q̇ ꝑ/
poſitũ tuũ iſtud ſcl'm̃ diuerteret a te. re⁹ eſſet
D vt deo ſe redderet ĩ religiõe loco tui. ¶ Silet
iſte nequã ꝙ ad religionis introitũ oꝑtet at
tẽdere nedũ bonitatẽ religionis ĩ ſe. ſed alias
circũſtãtias maxime duas. Quaꝝ vna ſe te/
net ex ꝑte religioſoꝝ ſi ꝑfecte regulã ſeruant
Altera ex ꝑte ſuſcipiẽtis. ſi iuxta ꝑabolaꝫ xpi/
dũ inchoat poterit ꝯſummare. Q, ſi ſm rõ
nis ꝯſiliũ res tã grandis aggrediẽda ẽ / quaꝫ
poſtmodũ mutare nõ licet. Nõ tñ ſequendi
ſunt viriles impetus aut mot⁹ deuotionũ q̃
les hñe pñt pueri aut puelle. q̃ñq̃ plus in in/
cõſtãtie vicio vl' melãcolie / ꝙ̃ gr̃e certo inſti
tu poti⁹ aliq̃ñ. qualiter mõ ex aſtuto demo/
nis ĩpulſu / ꝙ̃ certe deuotõis afflatu. Silet.
qm̃ media ſunt moderãda ſm ꝟtutẽ tã agen
tis ꝙ̃ patiẽtis. nec poterat dauid cuꝫ armis
ſaul egredi ꝯtra golyã Nõ pñt ſimie cũ bot̃
latorib⁹ quas ĩ fraudẽ eis derelict̃ accipiũt
incedere. ſilet onera religionis. cũ morib⁹ in
habitantiũ. Dat bñ ſentire de oĩb⁹. nemi/
nẽ iudicare. ſpes adijcit q̃ñq̃ magnas. ꝙ ꝑ/
ficiet alijs ſua eruditio. ſuũ ꝯſiliũ. q: lr̃as no
uit. q: prudẽs ẽ ĩ agendis. Deniq̃ exẽplũ da
bit religͦs de ſcl'o. vt ita faciãt queadmodũ ⁊
fecit ⁊ ſcl'm derelinquãt. Quid: Tãdẽ voto
ſe ꝯſtringit. deſerit habita beneficia. dat ſua
pauꝑibus. via ſibi vnica religionis relicta ẽ
Captus eſt ait inſultãs demon. Euge euge
iã nõ eſt ſilendũ. iã in odiũ religionis exagge
randa ſunt oĩa Aꝑiendi ſunt oculi. diſcrimi
na reuelãda. murmur inducẽdũ. dicat ipſe ſi
bi ſentiẽs ſe deluſuꝫ. Quid mihi feci miſer:
In q̇d me malũ impuli: Nõ potero ferre iu
gũ h̃ intolerabile. Queſiui requiẽ vt in pace
ſeruirẽ deo. ⁊ ecce turbatio. fugi hoĩes. hoĩes
ĩuenio. Cedebã tẽptatõib⁹ de ſcl'o. detiores
demonis ꝑfero. q̇d feci: q̇d agã: q̃ me vertaꝫ:
Amicos carnales offendi ſpernẽs eos cũ ſu
is cõſilijs. null⁹ mihi ad eos regreſſus. Si
diſpẽſatõꝫ voti q̃ſiero. nõ dabit᷑. aut in data
nũq̃ ꝯſtãs ſibi anim⁹ q̃erabit᷑. ſed neq̃ quõ
viuerẽ ĩ ſeculo relictũ ẽ Si ad aliã migraue
ro religionẽ. ſcãdaloſus ero mee / ⁊ forſitã in
tolerabilis aliene. Quid feci: Deuotionẽ in
ſcl'o ſuauiorẽ. ⁊ crebri⁹ inueniebã. q: ſenſus
vegetiores. nec ꝑturbati ꝑvigilias. nõ extina
nitũ cerebrũ ꝑ ieiunia. nõ oppreſſa mẽs ĩ ꝑ/
lixitate vocal' ſeruitij. ſed ⁊ ſcl'arib⁹ inuoluor
curis ꝓ neceſſitatib⁹ fratꝝ. Cogit obediẽtia
currere diſcurrere ꝑ ſeculũ. qui quietẽ ſolam
ſperabã mihi obtinere. Sic quotidianis fa
tigor odijs ⁊ ritis. Quid feci: quid tãdẽ vo
lui mihi miſer: Delectabat me ſtudiũ. doce/
bã et docebar. Nunc qui doceat᷑ aut doceat
nullus eſt. Fratres ſatis eſſe reſpondẽt occu
pationes religionis ſue vexatio ſatis ẽ. Nõ
eſt inquiunt religio ſchola docendi. ſed diſci
plina viuendi. Si vixero ſm mores fratrũ
collapſos omnino a regulis patruꝫ. ꝑditus
ſum ſine dubio. Si ſingularis mihi viuere
volo. nec datur nec ſufficit. Ecce quid mur/
murat inconſtans quãdoq̃ nõ ſine magno
perplexitat̃ vinculo. maxime ſi monaſteria
mulierũ collapſa. iunior iam aliqua vouit ⁊
intrauit. ¶ Circũit depoſitus de ſede. querit
quẽ deuoret. Inuenit hoĩem deditũ ſtudijs P
litteraꝝ ⁊ ſcientiarũ. Si poteſt auertit. Af/
fert occupationes ex ſeculo. ſicut ex ꝑlatorũ
ſeruitijs. aut principum. aut penuria trãſcri
bentium. vel imperitia. aut librorum cauſat
nimietatem oneroſam. aut fruſtra fieri ver/
ba ſurdis dicit. Si nequiuerit abducere q̃/
tinus ociũ deſideret ſtudioſum. ſed ſibi va/
cet ⁊ ſapientiam ſcribat ĩ ocio. ſubdolus im
pellit. vt alios dũ docere vult ſcribẽdo / ſe ſe
ducat. Laudat iã laborem. ſed corrumpere
ſatagit intentionẽ. Eya doctor / ſcribe q̃ rele
gat poſteritas. q̃ tibi ſint ĩ nomẽ eternũ. qm̃
melius eſt nomẽ bonũ ꝙ̃ vnguẽta precioſa.
Orabunt alij ꝓ te Nõ tibi ſoli laborabis. ta
lentum tuuꝫ diſtribues. Sed ad q̇d ſathan
iſta: Quid ſibi ſuꝑ alioruꝫ ſalute: Profecto
nihil. ſed ſatagit / vt iſte ſub hac intentõe ſcri
bens audiat in iudicio. recepiſti mercedem
tuã. Accipe quod tuũ eſt ⁊ vade. ex ore tuo ⁊
ſcript̃ tuis te iudico ſerue nequã. Fers lit/

Nn

teras morꝫ tue ſal infatuatū. Eya ſcribe ſed
ſubtilia. ſꝫ extranea. ſꝫ nouit inuēta. Turpe
ē alienis vti. Sic ipellit vt deſerat terminoſ
q̄s poſuerunt pr̄es ſui. Ut vane gl'ioſus di
cat. Sup oēs docētes me intellexi. Ut deſe
rēs vias certas dicat. Aq̄ furtiue dulciores
ſunt. ⁊ panis abſcondit⁹ ſuauior. ¶ Eya ſcri
be. aut de tuis ꝟtutibꝫ. aut celeritatē oſtende
dictādi. Aut da ſatis intelligi ꝙ bn̄. ꝙ deuo
te viuis vt loq̄ris. aut certe i alienis laudibꝫ
q̄re laudē tuā. Quere celebritatē nois / ſi nō
ex te ſaltē ex ill'. quos exaltas ſcribēdo mira
cula ſua. viſiones. vitā ſup̄ modū mirabileꝫ
diuinatōes. ſectas nouas. Canonizat⁹ eris
i ipſo ꝑ canonizatōe. Sed o fraudē ſathane
deteſtandā. qn̄qꝫ tn̄ ita fallentē / vt interim ta
ceam⁹ de manifeſtis erroꝛibꝫ ⁊ heretica p̄ui
tate ¶ Eya ſcribe. tot⁹ inſiſte laboꝛibꝫ impoꝛ
tune. Nō des requiem calamo. poſtpone ho
ras canōicas. aut abſqꝫ intētōe ꝓferas. idul
ge ſecur⁹ lautioꝛibꝫ cibis. vtere ſomno vſqꝫ
ad ſaturitatē. Deſere ciuilē alioꝝ ꝯuerſatōꝫ
Cōpenſabit hec oīa laboꝛ tuus in dictādo.
Sic ipellit iſte nequā. ſcit ꝙ inutilit̄. īmmo
notie fiūt nō iuſſa p̄ceptis omiſſis. Scit ꝙ
fauem⁹ vltra modū ſcp̄tis nr̄is. diligim⁹ vt
filios. placēt etiā ſi defoꝛmia ſunt et iculta. ſi
vacua ſententijs. Teſtis eſt ſimia fabuloſa.
Gallina dū nimio clamoꝛe ꝑdit ouū / ꝑdit il
lud. Coꝛu⁹ crocitās vt a vulpe laudet̄ / frau
dat̄ cibo ſuo. Nō alit̄ ſepe ꝟtutes ꝑdunt ſcri
be docti. vel q̄ſitas ꝑus vel acq̄rēdas in tpe.
Nō. qꝛ dicūt ⁊ nō faciūt. qꝛ de donis dei dū
gl'iam q̄rūt. deo rapiūt qd̄ ſuū ē. qꝛ ſcit inſup
ſiniſtra taliuꝫ / q̇d facit dextera. Pn̄t nihilo
min⁹ meritoꝛie fieri noua ſcp̄ta ſi mod⁹ affu
erit. finis ⁊ oꝛdo recti. Unū facere ⁊ aliud n̄
Q omittere. ¶ Circūit ⁊ inuenit hoīem dedituꝫ
ꝯfeſſionibꝫ audiēdis. O q̄t imiſſiones facit
ꝑ angelos ſuos malos. Uenit ad ꝯfeſſioneꝫ
plebeius idiota. veniūt pueri ⁊ puelle. iuue
nes ⁊ maritate. Suadet īueſtigare diligent̄
ſup oībꝫ circūſtātijs / vt agnoſcat vultuꝫ pe
coꝛis ſui. qꝛ nec alit̄ ſolui pōt petōꝛ niſi dixe
rit oīa. Abſit iſte curioſus ſcrutatoꝛ. ⁊ defici
at ſcrutās ſcrutinia cū ſcādalo ꝯfitētiū / cū la
pſu ꝓprio. cū ſuſpitōibꝫ infinit̄. cū intermia
bilibꝫ ſcrupulis. ſiue remittat nō abſolutuꝫ.
ſiue detineat moroſiſſime vix tandē abſoluē
dum. Ueniūt tales poſtmodū / ⁊ vertit̄ i op
poſitā q̄litatē. qꝛ timet expt⁹ tales facere int̄
rogatōes. Dicit ſibiīpſi. ſaluet ſe ſi voluerit.
nō intrabo domū ꝯſcie aliene. nihil interro
gabo. ſcit pctā ſua. dicat illa ſi vult. Sic di
mittit inſcios. ſic verecundos latere i pctīs
ſuis. nō vtēs claue ſcīe q̄ data ē ad apiendū
(cū diſcretōe tn̄) ſecretas ꝯſcīe plagas. Ueni
unt alij magni prudētes de ſeculo. veniūt ꝑ
dones. vſurarij. ſimoniaci. rācoroſi. violato
res eccl'iaſtice libertatis. ꝯcubinarij notoꝛij.
nolūt a pctīs reſilire. nolūt reſtitutōes face
re. ſunt excōicati. ſunt irregulares. alij ſi cul
pant̄. excuſant aut defendūt pctm̄ ſuum. di
cūt ſe iuſta bella gerere. ⁊ plane mirꝫ ē / ſi etiā
angelus de celo repiret q̇d agendū i talibus
multis. niſi coaſſiſteret ſibi miraculoſa dei ꝟ
tus Ueniunt alij vel alie curioſe agentes. ad
fabulationes vertūt ꝯfeſſiones ſuas. miſcē
tur colloquia ḋ ꝓphanis. vtinā nō ḋ nepha
rijs. vtinā q̄ ſpiritu cepiſſe vident̄ / nō conſū
ment i carne. pꝛohibeat deterioꝛa de⁹. ¶ Cir R
cūit ⁊ inuenit declamantē in populo ſeu pre
dicantem. Cognoſce demonis quot impul
ſus ſunt in ſermone. Dū de omni ſtatu pſo
ne ſunt que vicijs ꝯtrarijs infecte ſunt. Si
culpat auariciā / pꝛodigus applaudit. et ri
det auarum. Si ꝓdigalitatē vitupat. auar⁹
libēs ad ſe ꝯtrahit dicēs. tene quod habes.
Si loquit̄ aduerſus iertiā / gaudet iſte q̇ ſtul
to laboꝛe ꝯſumit̄. ⁊ eē ſub ſentibꝫ curaꝝ moꝛ
dētiū delicias ꝯputat. Zel⁹ laudat⁹ accendit
iracūdos. Pietas laudata puſillanimes nu
trit ⁊ deſides. Pronūc ⁊ qualeꝫ tua p̄dicatio
fructū afferet ꝯſidera. Sūt q̇ nolūt p̄medi
tari. nolūt ſanctoꝝ allegatōibꝫ vel autoꝛita
tibꝫ. aut certe neſciunt vti. Garriunt ⁊ effun
dūt quicquid in buccā venerit. ceci cecos al
loquētes. Sunt ex oppoſito / q̇ tot accumu
lāt allegatōes. ſup allegatōnes richmos. ad
richmos ꝯcoꝛdātias. cū ꝯcoꝛdātijs effluūt
vſqꝫquaqꝫ. nō deū ſed ſe. ſed ſciam ſuā oſten
dere volētes. Blādiunt̄ ſibi. ꝙ nō ꝓpter ſe ⁊
famā ſcīe. ſed ad edificatōem querūt alioꝛuꝫ.
Sūt q̇ ſolū apud auditoꝛes ſuos inobediē
tiā ⁊ rebellionē inferioꝝ tacēdo culpant vi
cia ſupioꝝ etiā dū abſunt. Uñ. Nihil plau
ſibilius audit inuida plebs q̄ꝫ ſuperioꝛuꝫ vi
cia pꝛodere. augere. inculpare. Et hec ſepi⁹ ⁊
accuratius ſtudent aliq̇ p̄dicatoꝛes deteſtari
q̇ ſi vel in modico vicio culparent̄. pꝛotinus
implacabiliter obſiſterent vera dicentibus.
⁊ capitali clam vel palam ꝑſecutiōe vexarēt
Adde ꝙ multitudo pꝛedicationū ſepe fit in
laqueū audientiuꝫ. Quare? Quia iam ſane
ſciunt voluntatē dn̄i. nec faciunt. preuarica
toꝛes effecti de peccantibus. Propterea per

pletos habet behemoth neruos ĩ multis. q̃
bus nõ ē exitus frequẽter poſſibil'. niſi mors
inflicta iudicialis/ſeu captiuitatis hoſtil' vi
am fecerit/liberans ab omnib⁹ debitoꝝ vin
culis. Aut ſi non fuerit aſſumpta religio ce
dens omnib⁹. Aut vltronea paupertas ſua ꝛ
ſuoꝝ ſubeatur. Sed q̃ꝫ difficilia ſunt hec re
media. ꝓſertim in ſenibus. in egrotis. in de
licatis viris ꝛ pomposis. In feminis neſcit
nemo. Singularit' idcirco notauit apoſto
lus auariciã/tẽptatiõib⁹ et laqueis diaboli
plenã eſſe. que mergunt hominẽ in interitũ
S vñ vir fit reſponſio. ¶ Circũit iſte ſathã. iſte
depoſitus. ꝛ inuenit hominẽ in ſolitudie. vl'
deſerti. ſicut eſt pellicanus. vel domiciliĳ/ſi
cut nycticorax. vel tecti ſicut paſſer. protinuſ
immittit fraudulentus auceps iſte laqueos
exquiſitos. et tota malignitate conat' inuol
uere. nũc pennas. nũc pedes iſtius/qui ſoli
tarius elegit viuere. volatur⁹ (vt eſtimat) ad
ſupna. ꝛ ſecũ furens ait. Nõ ſic abibit ſolita
rius iſte/ſi bene me noui. Sit piger. impati
ens. mala cogitet. ꝛ ſua querat. Agitat' nunc
feruore nouitio. fingit ſibi quietẽ ꝛ ociũ. fin
git patientiã ſi nõ habeat conſortiũ. fingit
puritatẽ in affectibus habituram. fingit de
niq̃ꝫ ꝙ dabit ſe deo totũ. Sꝫ o miſer. neſcit
quantũ meis artib⁹/ab expectatiõe ſua lõge
fiet. Surgite vos infernales ꝛ improbe pe
ſtes mee. Stultũ hunc impellite caſuꝝ ĩ re
tia peccatoꝝ. q̃ fugere putat. nec p̄cauet. Tu
primitus inertia. deſes ad bonũ/ſed ad pni
ciẽ efficaciſſima. Hic exteriori caret exerci
tio. ocioſus vacat. Age. Tedioſa ſit oĩo ſibi
faſtidiat ꝛ dicat. q̃uſq̃ꝫ eadẽ. Succedat nũc
impatiẽtia. Fac ipm ſuimet penitere. fac di
ſplicere q̃rẽ. fac ociũ ꝓpriũ horrere. nec ſe iã
ferre poſſit. Fac lãgueat tot⁹ ꝛ pigritet ¶ Ex
urge nũc blaſphemia. cogitatões nephariaſ
immitte. Fac deſideria occidant pigꝝ. Age
doceat ocioſitas mala multa. Tradiderĩ eũ
quattuor q̃ternionib⁹ paſſionũ vinculãdũ/ĩ
carcere noſtro peccatorũ. Scis noĩa. ſcis
officia vulgata ſunt. Spes. meror. metus.
gaudiũ. Speret vana. metuat falſa. mereat
moleſte. gaudeat moleſti⁹. Tuũ erit vltimũ
hoc officiũ o libidinoſa cupiditas. querens
aſſidue q̃ tua ſunt. Querat iſte ꝯſolatiuncu
las ꝓprias ſi poterit in carnalib⁹ delicĳs. ci
bo. ſomno. veneris. Si refugerit parẽrẽ hãc
turpitudinẽ tuã/velaueris eã ſimilitudinem
deuotionis ad deum. Da mendaciter intelli
gi ipſum querere q̃ dei ſunt. ſe ĩ dño delecta
ri ſolo. cũ ſua p̄ncipaliter querat' oblectatio.
Signũ hui⁹ accipe certũ. q: dimiſſis diuio
rũ impletõib⁹ mãdatorũ/laborat ĩ h̃ totus.
vt ĩ alĳs q̃ ſpũalia fingit delectet'. Deridem⁹
merito ſabbata ei⁹. videtes ignominiã eius.
Videm⁹ introrſum fornicatõib⁹ ꝓprĳs. mẽ
dat. ꝑcat. meretrix ingrit et rapit ¶ Adauge
dolos tuos o libidioſa cupido. Interroget
curioſitas tua cor ei⁹ ĩ plurimis. Si mallet
dãnari q̃ꝫ offendere deũ ſpõſum ſuũ. redem
ptorẽ ſuũ. de q̃ gl'iat'. Si mallet ſubire mor
tẽ aut incendi. q̃ꝫ frangere ieiuniũ/vl' incur
rere carnis lapſuꝫ. Quicquid elegerit irretie
mus eũ. vel arrogãti mẽdacio. ſi penaꝫ ꝓpo
ſuerit inferni vel incẽdĳ. ꝙ ſi poſtpoſuerit iã
peccauit. q: peccare p̄elegit. Adde ſi videris
ipm ĩ multis deficere. dic blãdiens. nõ cõcu
tiant te defectus iſti frater. ꝑmittat eos de⁹ ĩ
te ad humilitatis cuſtodiã. ne magnitudo ꝟ
tutũ te extollat. Habes in Paulo ſil'e de ſti
mulo ſathane ꝓpter magnitudinẽ reuelatio
nũ. Capiamus eũ ꝛ illaqueabimus vt defe
ctus ꝓprios iã nõ laboret corrigi. ſed ĩ illis
audeat etiã gloriari. Sit rurſus tuũ o blaſ
phemia/ſoror inertis deſidie machinamen
tũ. ſit cogitatiões ĩmittere/quales nec hoĩes
ſcl'i. nec meretrices dignarent' admittere. Pu
deat ipm q̃ tantus ē ĩ ocul' ſuis. pudeat ꝛ in
dignet' ꝛ iraſcat'. ſupbiẽs etiã ĩ deũ ꝛ ſcõs an
gelos ei⁹ ꝛ ſctõs. ꝛ deſpet tãdẽ ſeipm. Sua
derẽ vobis inq̃ꝫ quattuor ſodalib⁹ mihi cha
riſſimis ſup hmõi ſolitarĳs/ĩ alia diſcrimĩa
deturbãdis. ſed ea q̃tidiana q̃ſi domeſtica p̄
tereo. incurioſitatẽ ꝑſcrutatõnis vite aliene.
negligẽtiã ꝓprie vite. videre feſtucã in alieno
oc'lo. nõ aduertere trabẽ ĩ ſuo. Ceteros ſper
nere. ſibi ſuaq̃ꝫ placere. Rumorib⁹ nouis aſ
ſidue agi. ꝛ ſuſpitionib⁹ temerarĳs inquieta
ri. Proinde minus oĩb⁹ hoĩb⁹. alacres ſpũ
minus eſſe patiẽtes. plus ſui amatores. pl⁹
ſordidos aliorum mala tenẽtes. ¶ Agite po
ſtremo ſodales fideliſſime mihi/quatinus
iſtos exhibeatis ſolitarios. tandẽ mihi ſimi
les fieri. Solitudineꝫ odiãt. fiãt diſpſi mẽte
cordis ſui. fiãt gyrouagi ꝛ ꝓfugi. fiãt iſtar ca
yn vagi et ꝓfugi. Quid eñ mag' ꝓpriũ ē mi
hi q̃ꝫ eẽ gyrouagũ. circũire terraꝫ ꝛ ꝑambula
re eaꝫ. hec nequã ſpũs. Atuero q̃d te agitas
frater. quid turbariſ. cũ iam ſilentiũ pati nõ
potes hactenus obſeruatum? ¶ Diſcipulus T
Nũc prorſus inſpicio. q̃m vndequaq̃ꝫ mi
ſer ſuꝫ. ꝛ miſerabil'. nec q̃d agã. nec q̃ me ver
tã ſcio. Ita ꝯcluſus ſuꝫ int' anguſtias ex im

pulſib⁊ ſathane nūerarē. pſertim ī vltimiſ. vt
merito tedeat aīaʒ meā vite mee. Nolo tñ de
ſpare memetipm. ſʒ auxiliaria poti⁹ documē
ta q̄rere Itaq̄ʒ fraudes ⁊ laq̄os inueſtigaſti.
tuum ſit remedia tradere cautelas ⁊ auxilia.
¶Mgr. Si humanū pſtolarē auxiliuʒ fal
leris. Illud eñ nec pſpicuū ē nec validū. ma
xime aduerſus aereas ptātes. Eſt vita hoīs
militia ſup terrā. Aduocādi ſunt milites an
geli boni cōtra nequā hos ſpūs. Pl'es ſunt
fortiores ſunt. ſapiētiores ſunt abſq̄ʒ vlla cō
patōe. feruētiores ī iuuādo q̄ʒ alioꝝ maligni
tas ī ipellēdo. tīmmō aſſum⁹ nobiſipis. nec vl
tra pellam⁹ eos adiutores tā ſedulos. beni/
uolos ⁊ certos¶Diſcipulus Hoc ē pfecto
potiſſimū qd̄ flagito. qd̄ ab eis peto dari mi
hi/ne repellā eos. Cupio parit' ⁊ depcor/q̄ti
nus ipulſiōes ſuas q̄b⁊ īſtigāt nos bñ agere
ſtuduerē apire. ¶Magiſter Si d̄ cuſtodia
angeloꝝ/pcipue ſingulorū q̄ dant' ſingul' ab
exordio. ſi de ſuis officijs ſingillatim cona/
rer apire/q̄ ſub exemplis legunt' ī ſcptura ſa
cra. q̄q̄ʒ p hyſtorias q̄ ſubinde p doctores ſa
cros tradita ſunt. ſupfluus imo van⁹ iure di
cerer/res ſuſcipiēs ſup̄ vires. Attñ ne totus
obmuteſcā/q̄ſi ſpnēs pcē tuā. eligā vnuʒ ſua
aucte refulgēs exēplū. Deinde p ɔſideratio
nes aliq̄s paucis v̄ſib⁊ comphēſas/curabo
v nos aduerſus diabolicos īſult⁹ reddere do/
ctiores. ¶Diſcipulus. Gratus audiā et at
tentus. ¶Mgr. Petrus poſt tot ppetrata
v̄tutū inſignia. dormiebat ī carcere vinctus
cathenis int' duos milites Typus iſte ē xpi
ani licet egregij meritis. qui p herodē iſtum
ſathan/glorianteē in pellib⁊ que palliant neq̄
tiā ſuā. detrudit' in temptationis horridum
carcerē. diſcrimen īminet mortis. niſi q' orā
te iugit' eccleſia fit quod ſequitur. Angelus
aſtat. fulget. pulſat. ſurgere clamat. Soluit
⁊ educit. libertatiq̄ʒ relinquit. ¶Diſcipulus
Placet metri compendiū quo ſeptē angeli
co ſancto facta miniſterio cōplecteris¶Ma
giſter. Solerter aduertē. Exiſtimo nō gra
uaberis/ſi cōſiderationes pauculas rurſus
ita verſibus ligauero ſup cautelis. quibus
agere nos oportet. ⁊ prius facere qd̄ ī nobis
ē. gallice (fay ce que doce) ¶Diſcipul⁹. Nō
grauabor. nec leuitati deputabo metruʒ/q̄/
le frequēter ī pſalmis et canticis pphete ſum
pſerūt. ¶Magiſter. Immo nihil apud ve
teres phos ſerioſi⁹ metro fuit. Accipe ergo
dogmata ſeptē. Penſa quis finis pprius. q̄
ſit ſtatus omis. A ſathan impelli ſperās fac

iuſſa. timenſq̄ʒ Magnifica dñm. dico me ſu
ſcipe xpe. Vixeris hic ⁊ nūc velut. hic ⁊ nūc
moriturus. Viue pius. purus. velut hic et
nūc obiturus. i. obuiā xpo iturus. ¶Diſci/
pulus. Et ſi prouocet me auiditas expoſi/
onis latioris. nolo tñ eſſe moleſtus exactor/
poſt tā multiplex eloquiū p te nunc habituʒ
Conſeruabo interim oīa verba hec confe
rens in corde meo. quouſq̄ʒ altera nos collo
cutio congreget in idipm. quouſq̄ʒ ptērea cē
tilogiū de impulſibus accepero ¶Magiſter
Fiat vt vis ⁊ in eo bñ vale. q̄ depoſuit po/
tentes de ſede ⁊ exaltauit humiles.

## Sequitur tercia partitio de ſeptem modis generalibus angelice cuſtodie p notulas. lxxxiij.

x

Et exaltauit humiles. ¶Diſci/
pul⁹. Cōuētōis h⁹ nre diē ⁊
e locū pſpeꝝ faciat/iſtoꝝ brōrū
btiſſima iſta p hūilitatē ſingu
larit' exaltata. cui⁹ ē h̄ v̄bū. Et
exaltauit hūiles ¶Mgr Fiat. tu q̄d affers
colloquij p⁹ triduanū h̄ ſilentiū. ¶Diſcipul⁹
Perlegi tuū ſup ipulſib⁊ cētiloquiū. Expi/
or illd̄ eſſe ɔnexū priori nr̄e collatōi. deſinit in
auxilio bonoꝝ ɔtra apoſtatas angeloꝝ no
bis in h̄ exilio. vbi etiā filius dilect⁹ nihil dif
fert a ſeruo cū ſit dñs oīm. ſʒ ſub tutoribus
angel' ⁊ actorib⁊ ē vſq̄ʒ ad pfinituʒ tpſ a pr̄e.
¶Magiſter. Bñ ē. bonos tutores hʒ iſte
fili⁹. ¶Diſcipulus Iſtic nēpe ſum⁹ cogno
ſcere q̄lia ſunt adiutoria bonorū. q̄lia miſte/
ria. q̄les pulſus aut imiſſiōes. Memi v̄o te
nudiuſtercius ſeptē officia nūeraſſe ſub tro/
pologia liberatōis petri Angel⁹ aſtat. fulget
pulſat. ſurgere clamat. ſoluit ⁊ educit. liber/
tatiq̄ʒ relinq̄t. ¶Magiſter. Nō erat recor/
datio. Scis ne memorit' additas ſil'. vij. cō
ſideratōes ad tutelā nr̄am ſub q̄druplici v̄/
ſu. ¶Diſcipul⁹. Nimirū ſic ɔtinēt. Pēſa
q̄s finis ppri⁹/q̄ ſit ſtatus oīs. A ſathā ipel
li ſperās fac iuſſa. timēſq̄ʒ Magnifica dñm.
dico me ſuſcipe xpe Vixeris hic ⁊ nūc velut
hic et nūc moriturus. Spūs eſto pi⁹ velut
hic ⁊ nnuc obiturus. Mgr Scires ada/
ptatōʒ facere. vij. ad. vij. reddēdo ſingula an
geloꝝ auxilia. ſingul' his ɔſiderationib⁊ aut
doctrinis. ¶Diſcipul⁹. Cupio ſecuri⁹ et te
cognoſcere ſiml' vt abbreuiatior ſermo fiat.
¶Mgr Tēptabo ſic efficere pariterq̄ʒ redde
re totū marie canticū ɔſonās dictē nr̄is. Ita
q̄ʒ talit' accipe ſūmari pmo. Hec hic amplior

ꝯſitiõis erit loc⁹. ¶ Angel⁹ aſtat/vt pẽſem⁹
h̄ ponderem⁹ ꝛ librem⁹ ĩ trutina cordis q̇s
ſit finis. Si eñ ſathan adeſt nobis vt noce
at. q̇s ferret ſi nõ ꝯtra ſtaret angel⁹ bon⁹: ſic
ꝑterea q̄rit iſte ſathan claudere vel eruere pe
nit⁹ oculũ fidei ne recogitem⁹ finẽ nr̄m q̇ de⁹
ẽ ꝯueniẽs ẽ vt angel⁹ bon⁹ ſanet ꝛ illuminet
ocłos cordis ĩ viã ꝛ ĩ finẽ pacꝭ. hec de primo
¶ Angel⁹ aſtãs fulget ĩ carcere mortꝭ hui⁹ vt
nouerit vnuſq̇ſq꜂ poſit⁹ ĩ tenebrꝭ qual' ſu⁹ ſit
ſtat⁹ ꝓpri⁹. Sũt eñ iuxta q̄litates morboꝝ
ſinguloꝝ q̄litates auxilioꝝ. Angel⁹ aſtãs et
fulgẽs. pulſat incitãs ad bonũ. Scit eñ ge
neraliter oẽs. ꝛ h̄ nos ſcire facit a ſathã ĩpel
li. Dũ eñ ſcit̄ ꝑiculũ/ſollicitudĩe maiori fu/
git ad auxiliũ. ¶ Angelus aſtãs fulgẽs ꝛ pul
ſans/iubet ſurgere velociter. Hoc aũt ĩplet̄
dũ ſperãdo diuina mãdata ſeruant̄. Alioq̇n
iacet obrutus ĩ pctĩs vet⁹ hõ nr̄. de ſe deſpe
rãs. aut nõ cũ minori diſcrimine/nimis ſpe
rãs ſeu ꝓſumẽs. ¶ Angel⁹ aſtans. fulgẽs. pul
ſans. ſurgere iubẽs/ſoluit a cathenis vicioꝝ
vinctũ ĩ mẽdicitate ꝛ ferro. Cõcuſſus eñ ti/
more caſto ꝛ ſctõ/cũ grata dñi magnificatõe
iã ſe ꝑcingit ꝟtute actiõis. iã calciat caligꝭ ꝑ/
ceptoꝝ ĩ ꝑparatõe꜡ euãgelij pacis. ¶ Angel⁹
ſextũ ꝑagit officiũ/dum aſtãs poſtq꜡ fulſit/
pulſauit. ſurgere iuſſit et ſoluit. educit extra
carcerẽ. Aꝑit vltro portã ferreã pnĩe. tranſit
vicũ vnũ ſatiſfactõis arte ꝛ directe. ¶ Ange/
lus tãdẽ ſic eductũ libertati derelinq̇t. Quo
facto ſic ſane deinceps q̇ retro ſunt obliui/
ſcẽs/liberat⁹ ĩ anteriora ſe totus extẽdit. Re
uerſus q̇dẽ ad ſe/deo grat⁹ ꝛ angelo ſuo. di/
cit ex ſnĩa. Nũc ſcio vere q꜡ miſit deus ange
lũ ſuũ/ꝛ eripuit me de manu herodis. ꝛ d̄ oĩ
y expectatõe plebis iudeoꝝ. ¶ Diſcipul⁹ De
lectat ſiml' ꝛ edificat adaptatõ. Neq꜡ curioſi
tati deputãd⁹ iſte mihi vere breuis ꝛ lucidus
ordo. Addiderꝭ qd̄ ſpopõdiſti. ¶ Magiſter
Intellige ꝑus queãdmodũ q̄ttuor prima
ſpectãt ad oẽs generalit̄ q̇ purgant̄. ſpectãt
alia duo magꝭ ad illuminãdos tanq꜡ ꝑficiẽ/
tes. ſeptẽ ꝓprie q̄rit eductus et ꝑfectus. Por
ro canticũ nr̄m ſic adapta. Sciuerꝭ vt ſcis.
qm̄ finis vniuerſe rõnalis creature ꝯſiſtit in
magnificatõe dñi. ꝛ ꝙ exultet ſpũs in deo ſa
lutari ſuo. Quid eſt enim beatitudo niſi dñi
dei noſtri ſalutarꝭ magnifica iocũdaq꜡ frui/
tio. honor ꝛ collaudatio: h̄ ꝓmũ. Ceterũ꜡ re
ſpectus hũilitatꝭ. ꝯſideratio ꝛ cognitio ſtat⁹
ꝓprij ꝛ ꝯditõis ĩ vnoquoq꜡. h̄ ſcdm̄. ¶ In h̄
ꝑinde ꝙ facit nobis magna q̇ potẽs ẽ. ꝙ be/
atificat apud alios. Cõcludimus ꝙ dñs ẽ ĩ
circũitu ꝓpl'i ſui. ꝙ ĩmittit angelus dñi ĩ cir
cũitu timẽtiũ eũ/ꝯtra tot gyrouagos demo
nis impulſus. hoc terciũ Rurſus ex ſctifica
tiõe noĩs ſui/dũ dat ſpem ꝛ impletiõ꜡ mãda
toru꜡ dei velociter inclamat/q̇ ꝑus aſtiterat
illuxerat. pulſauerat ad deũ. ad nos. ad ad/
uerſariũ ſolerter cognoſcẽdũ. ¶ Subſequit̄
• q̇nto timor dñi liberãs a pctõ. timor eñ dñi
expellit pctm̄ teſtimonio ſapientis. Sed ne
ſeruil' ſit aut vilit̄ mercẽnari⁹ timor/magnifi
cat ipſe gratis dñm. recogitãs/qm̄ mĩa ei⁹ a
ꝓgenie ĩ ꝓgeies timẽtibꝫ eũ. Cõſurgit aũt ti
mor dũ aĩa nr̄a ꝯſiderat hũanã miſeriã/ſi ſe
uere faciat dñs potẽtiã ĩ brachio ſuo/ſi ſuꝑ/
bos diſꝑgit mẽte cordis ſui. deponit potẽtes
de ſede. ſi diuites dimittit inanes. q̇s nõ exti
muerit ſi ex ꝯſideratõe ſue mĩe q̇s ip꜡ nõ ma
gnificauerit. q꜡ timẽtibꝫ veniã dat. q꜡ hũiles
exaltat. q꜡ eſuriẽtes ſatiat ꝛ ſaluat. ¶ Suſce
pit ꝓptea ſexto dñs iſrl' pueꝝ ſuũ. illumiatũ
pulſatũ. ꝯmonitũ. abſolutũ/q̇ dixerit. Dñe
ieſu ſuſcipe ſpm̄ meũ. Dũ ꝟo ſuſcepit. q̇s de
mãibꝫ ſuis eripiat eũ: Dñs q̇ iuſtificat. dñs
q̇ ſuſcipit. q̇s ẽ q̇ ꝯdẽnet/aut quis abijciat:
Poſtremo ſpũs ita ſuſcept⁹ ĩ mãibꝫ ſaluigar
die. i. ſalue cuſtodie xp̄i. ſueq꜡ libertati dereli
ctus/p⁹ oẽm herodis expectatõ꜡. q̇d ſupeſt:
agat ille q̇ ſpũ dei agit̄. q̇ iã ꝑſpicit vltra in le
ge ꝑfecte libertatis. q̇ nõ timore ſupplicij. nꝯ
ſpe ꝓmij trahit̄/ſ꜡ ſuaui iugo xp̄i mentẽ ſctã꜡
ſpõtaneã totã ꝯtulit ad honorẽ dei ꝛ patrie
liberationẽ Recordat̄ ꝑfecto ſolius miſcdĩe
dei. dulceb꜡ in lege dñi meditari die ac no/
cte. ſicut locutus ẽ ad Abraã pr̄em noſtꝝ ꝛ ſe
mi eius ĩ ſcl'a qd̄ ẽ xp̄s. Hoc deniq꜡ ẽ ꝑfecto
rũ. ſicut alia ſunt illoꝝ q̇ ꝓficiunt aut incipi
unt. ¶ Nũc ꝑ ſingula diſcurram⁹ angeloru꜡ Z
miſteria q̇ tacta ſunt circa petrũ. ¶ Angelus
aſtat. Cur ita: cur ſi nõ: vt aſtare coram deo
nos faciat. Deo aũt tũc aſtare nos tradit di
ony. cũ caſtiſſimis oratiõibꝫ inſiſtẽtes. reuo/
luto animo ꝓpinquamus. credẽtes qm̄ ipe
eſt dñs deus ſalutaris noſter/innitentes ei
ſicut littori fixo/tracti a magnete virtuoſo.
¶ Aſtans ꝟo tunc refulget angelus. cũ nos
edocet. cuius ꝯditionis ꝛ ſtatus ꝛ humilita
tis ſumus. quatin⁹ inſpiciat deus hũilitatẽ
ancille ſue aĩe nr̄e. nouerit ipſa q̇d ſe querere
ꝯueniat. Nõ eñ oĩbꝫ oĩa equaliter licent. de
cent ꝛ expediunt. Totũ paſtorale Gregorij
ꝯtextũ ẽ ĩ hmõi documẽto. Proptea trãſeũ
tes ĩducam⁹ quattuor ĩduſtrias ſpãlit̄ aſſu

mēdas ꝫ aſtutias ſathane fundatas ex locis
dialeticis. quibꝫ hoīes ignaros ꝓprij ſtatus
conaṫ auertere. vel mutādo dū bñ ſunt. vl̕ re
tinēdo ꝑtinaciter ſtatū / dū male locati ſunt.
¶ Locū aſſumit ab autoritate. ſed applicat
ſiniſtre ¶ Locū ab exemplo ꝛ ſilitudine. ſed
diſſimiliṫ. cū nihil in pſona vl̕ re nr̄a. Locū
ab inductōe. quatinus pcipitet ī iudicia fal/
ſa ꝛ temeraria Locꝰ deniqꝫ ſub trūcato entī
memate. minore ſua nō appoſita vl̕ explica
ta. ¶ Scit em̄ ꝙ ex miorībꝫ ſeu ꝑticularibꝫ p
miſſis / tota pēdet difficultas illatōis Fallit
ſe volūtas ſepiꝰ ī hac argumētatiōe. dū pn̄ta
to aliq̄ obiecto generaliṫ ſub rōne boni / cōſe
ſtim ferṫ ī illud attēptādū. nō diſcernēs ī ꝑti/
culari q̄d vel quale ſit illd̕ bonū. Dicit ratio
ſuccurrendū neceſſitati ꝓprij corpis ſui. Co
mede ꝛ bibe iubet volūtas. Colēdus ē deꝰ.
tene te igiṫ ī hac religione rn̄det volūtas. Di
cit rō. maledicti ſunt q̄ viaꝫ pacis ꝓpediunt.
Rn̄det volūtas. ꝙ maledicti ſunt q̄ viā ceſſi
onis huiꝰ ꝯtendētis de papatu nō inquirūt
¶ Notū ē qualiter loco ab autoritate abute
baṫ apoſtata Julianꝰ. Xp̄s dicit. Niſi quis
renūciauerit ꝛc̄. imo ſic diabolꝰ auſus ē dice
re xp̄o. Scꝑtū ē. angel̕ ſuis ꝛc̄. Nō hēmꝰ ne
ceſſe lōge morari. qꝛ ex ipſo ſumpſerūt oīs
deceptōes hereticoꝝ exordiū. maxime dū q̄
rūt hoīes vltra ſape q̄ꝫ diuiſit eis deꝰ menſu/
rā fidei vl̕ doctrine. dū fieri volūt magiſtri q̄
nūq̄ꝫ fuerūt diſcipuli. ſacraꝝ lr̄aꝝ interp̄tes
q̄ nunq̄ꝫ didicerūt illas ¶ Adiecit igiṫ diabo
lus aliud machinamētū efficaciꝰ ex h̄ loco ꝑ
autoritatē fieri trāſlatiōes varias pro vulga
ribꝫ idiotꝭ. quibꝫ habitis ꝛ lectꝭ ī ſupficie. cō
temnūt mox ſacroꝝ expoſitores. Nolumus
inq̄unt niſi textū nudū. quē tradidit ſpūſſā/
ctus. Tādē reddunṫ impſuaſibiles. neqꝫ ſi/
bi relinquūt autoritatꝭ pōdus. vn̄ valeāt ad
T veritatis cognitionē illuſtrari. ¶ Ceterū de
locis ab exemplo ꝛ ſimili / tot ſunt expimēta
fallaciarū. quot hominū capita dū quilibet
aſſequi vult quēlibet. dū exemplo dicit ſe vi/
uere taliū ꝛ taliū. quos approbat aut canoni
zat eccl̕ia. vel q̄ ſupiores eoꝝ ſunt. qui recto/
res. qui doctores. q̄ laudati. Quid facit filiꝰ
aiunt niſi q̄d viderit p̄rem facientem? Pr̄es
tn̄ optimos ipſi nolunt. ſed peſſimos h̄ exē/
plo ſeq̄. Uox aliorum ē. Paulꝰ ſe laudauit.
Paulus viſiōes ī raptu ſuſcepit. cur nō pōt
mō dn̄s ī talibꝫ ꝛ talibꝫ ſilr̄ia opari? Hinc cō
fictio ꝓphetiarū. hinc miraculorū admoni/
tio. hinc etiā adoratio damnatorū hoīm in

ppl̕is. Teſtis ē mihi legenda. immo de ado
ratione canis mortui viſum ē ī vienna. Ca/
ueat igiṫ ſancta ſedes romana. caueat ī ea ſe/
dens papa. quibus argumentis / ꝛ cauſis / et
medijs. canonizatio alicuiꝰ ſit faciēda. ¶ Di
ſcipulus Cognita ſunt oīa que loquerꝭ
etiā pro infeliciſſimis diebus noſtris. Neqꝫ
de loco ꝑ inductionē neceſſe habes exempla
ponere. qꝛ quotidianis ſuſpitionibꝫ impro/
bis contra ſtatus varios. militat ꝑ ipm de/
mon. pſertim apud ſolitarios et deuotos in
oculis ſuis / vt damnent ceteros omnes. Di
abolus dicit ex ꝑticularibꝫ inſpectis defecti
bus generalē inferant ꝯdemnatōis ſententiā.
Atuero difficultatē habēs maximā quadru
plex ille fallendi locus qua ratione vitabiṫ?
Dicunt iſti. Si gloſas recipit textꝰ vnꝰ ſcri
pture / cur nō aliꝰ? Si licuerit iſtis gloſas
addere / cur nō nos inquiunt. aut cur non ea
dē facilitate reſpuimus eas / ſicut doctrinas
apocriphas? Quo pacto igiṫ fiet diſtinctio
inter miracula vera ꝛ falſa. Inter reuelatōes
veras et fictas. Si canonizata ē hec pſona
ꝓpter atteſtatōes miraculorū ꝛ auſteritatem
vite. cur nequit hoc tp̄e fieri ſimile ſub ſimi/
libus? ¶ Magiſter Habes alibi tractatus
qui ad iſtas que quotidie ſiūt obiectōes / rn̄
dere conanṫ. Sꝫ apud pl̕imos / neqꝫ tal̕ ſuf
ficiet rn̄ſio. nec puto ꝙ altera ſine gratuito
miraculoſoqꝫ dei dono Olim dū ſcꝑtis ꝛ v̄
bis oñderē ꝙ ī iſtis nō pōt tradi ars vl̕ regu
la infallibiliter humanitꝰ. inducebam argu
mentū q̄ ſe fundat achademicorū ambigui/
tas / dicens nihil ſciri. imo nec h̄ ſciri ꝙ nihil
ſciṫ. Argumentū ē de diſtinctōe dormientꝭ ꝛ
vigilātis. duꝫ ſe videre putat dormiens. ſilr
ad vigilantē. ꝛ hoc cū ratiocinationibꝫ mul/
tis ꝛ reflectōnibꝫ quibꝫ dicat ſepe ſibi Tu nō
dormis. Ecce talia ꝛ talia facꝭ ꝛ inſpicꝭ. Tu
ſomnū tuum alijs narras ꝛ recolis. Eſt aūt
vigilantis (ait Seneca) narrare ſomnia ſua
Ita ſomnians hec ꝛ talia nunq̄ꝫ agit. Por
ro ſuppetit in hac re / viſitatio petri quaꝫ tra
ctamꝰ. De ipſo q̄dē vtiqꝫ vigilāte ſcribit hy/
ſtoria Luce. Neſciebat veꝝ eſſe q̄d fiebat ꝑ
angelū. exiſtimabat autem ſe viſum videre:
¶ Diſcipulus. Cōcludo magis. q̄m̄ neceſ/
ſe ſit nobis in his tenebris et vmbra mortis D
angelica viſio ſimul et illuminatio / cū iſta q̄
intimo ſenſu ꝛ guſtu docet de oīibꝫ ſpūſſā/
cti vnctōne. ¶ Mgr̄. Jure concludis. iure
ꝯſulimus nos aſſidue ꝑ deuotionis oratio/
nē ſub hoc duplici refugio ſuppliciṫ hūilia/

ri. quatin⁹ veritas nos exaltet. ¶ Angelus
aſtat. Pōt ī momēto ī ictu oculi noſter ange
lus a ſummo celo deorſuꝫ nobis aſtare. q̇ ni
hilominꝰ ſp̄ aſtat deo beatifica viſione. Nō
deſerit exēplar eternū/duꝫ venerit circa nos
opari. ꝯſulit nō minꝰ diligēter. qꝛ ſue actōis
regulā eſſe ſcit ꝛ artē directiuā. Fit aūt aliqñ
cuſtos angelus lōge a cuſtodito. nō ꝑ igno/
rantiā. nō ꝑ negligentiā ſuā. ſed ꝓpter mali/
ciā noſtrā cui dedignaꝛ aſtare. Fit hoc aliqñ
ꝑ diſpenſationē ad experientiā[?] nr̄e collucta
tōis cū aduerſarijs noſtrꝭ. Dū em̄ angeli bo
ni q̇ iuxta nos erāt de longe ſteterint/fit qḋ
ſequiꝛ. Et vim faciebāt q̇ querebāt aīam me
am. Et q̇ inquirebāt mala mihi locuti ſunt
vanitates. et dolos tota die meditabāꝛ. Fit
tūc angelꝰ nr̄ adiutoꝛ ī opportunitatibꝫ ī tri
bulatōe. facit cū tēptatione ꝓuentū. Erudi/
uit em̄ ꝑus q̇d agere ꝯueniat tpe ꝯflictꝰ ꝛ im
pulſus. ¶ Diſcipulus. O perepciū ē cogno
ſcere/quibꝫ doctrinis armat angelꝰ bonꝰ ſu/
os ſtare ꝯtra diabolū ī die belli. ¶ Magiſter
Multi multa ſcpſerūt in enigmatibus ꝛ fi
gurꝭ ꝛ ſilitudinibꝫ varijs corꝑaliter pugnā
tiū. Tu qm̄ ſcholaſticꝰ fuiſti/gratantiꝰ puro
recipies/ſi exemplū quaſi familiare de ſcho/
la tibi tradidero. Cōſtitue ſathanā q̄ſi ſophi
ſtā. cuiꝰ ħ totū ſtudiū eſt fallere. nō querit ſa/
piens eē ſꝫ videri. Uñ vt decipiat garrulus
ē. multa petit. Celat ꝓpoſitū ſuū. ꝛ iueſtigat
alienuꝫ/ſophiſticꝰ ꝑ oīa. Tu ecōtra doctꝰ ab
angelo bono cautꝰ eſto. noīatim ī q̄ttuoꝛ. diſ
ceremꝰ poſtmodū de reliq̇s. Primo velꝭ non
videri ſapiēs ſꝫ eē. Sapiētis aūt p̄cipua cu/
ra ē/finē reſpicere. Scd̄o pauca cū aduerſa/
rio loq̇/vlꝭ ex toto ſilere. Certum habe tercio
ꝓpoſitū ſuū ꝙ te q̄rat decip̄e/nō docere. Cer
tū ſit q̄rto ꝓpoſitū tuū/nolle ṽitatē deſerere.
A ¶ Diſcipulꝰ. Diſcurre ſūmatim de ſingulꝭ.
¶ Mgr. Sapiētia xp̄ianoꝝ ē idipſa/nō ſo
lū noīe ꝓfiteri ſe xp̄ianū. Hoc q̇ bona fide q̄
ſierit. ħ q̇ cupierit. vt malit eē bonꝰ q̄ꝫ videri
exēplo cathonis/ꝑueniet ad optatū. iuxta ſo
cratꝭ documentū. Si uero ſpūs diſciplīe ef/
fugiet fictū. hypocritā. ſ. ꝛ deluſorē ipſe delu
det. qꝛ deludi ſinet. Eligit talꝭ fuire duobus
dn̄is. Ingredi terrā viuēriū duabꝫ vijs. fit ꝑ
ꝑterea incōſtās. fit arūdo ſemet agitans. fit
cū garrulo ſophiſta. ſe ſilꝭr ī oībꝫ effluēs. deſe
rit cautelā ſcd̄am ſilētij. In ſilētio autē ꝛ ſpe
ē fortitudo noſtra. Obſeruatio ſilentij q̄ꝫ ne
ceſſaria ſit/notauit rex penitēs. Ego inq̇t tā
q̄ꝫ ſurdꝰ nō audiebā. ꝛ ſicut mutꝰ nō apiens

os ſuū. Uulgata ṽitas ē femīa q̄ auſcultat.
ꝛ caſtꝝ qḋ loquiꝛ. neſciunt diu ſtare. Poſſu/
mus addere de curioſitate alteriꝰ cuiuſlibet
ſenſus. Eua ſi clauſiſſet aures ad p̄mā dia/
boli curioſā interrogatōꝫ. qꝛ ꝑ Cur incepit.
Si mox ꝯfugiſſet ad mariti ꝯſiliū/ſuꝑaſſet
tēptatorꝭ aſtutiā. Exēplo cuiuſdā matrone.
q̄ dū īpetereꝛ ab adultero. q̄rā inq̇t a mari/
to meo ſi tibi ꝯſentiā. Probe q̇dē ſi ṽbo ſuo
coꝛ ꝛ opatio ꝑtinꝰ iūgebāꝛ. alioq̇n ꝓcacitas
dicti plꝰ accēdit adulterū. diuertere ſe ꝑtinꝰ
ꝛ ſilere cautū magꝭ. ¶ Fulciamꝰ etiā ex aīali/
um fabulꝭ dogma nr̄m. Uulpes ꝛ cattꝰ dū ī
nemoꝛe fuiſſēt obuiā ſibi. audirēt a lōge ſoni
tus venatoꝝ ꝛ latratꝰ canū. Cōtremuerūt
mutuo inq̇rētes q̄liter euaderent. Neſcio in
q̇t cattus niſi modū vnicū. Spernēs eū vul
pis/aſſeruit ſe hr̄e modos mille ꝛ mille ꝑ cir
cūitū. Facta ē intꝭ loq̇ndū irruptio canū. cat
tus exiliuit in arboꝛē. vulpis canū morſus
plꝭima circūitōe ꝯludēs diu. tādē ꝯphēſa/do
cuit ſaltū catti vnicū plꝰ ad euaſiōꝫ valuiſſe.
hec nos fabula reſpicit. ſꝑ ad arboꝛē ad quā
docet ſapīa cōfugiamꝰ. nō taꝫ motu corꝑis
q̄ꝫ pietate cordis. Damꝰ aliq̇n aliqḋ tale ſalubꝛe
conſiliū. qḋ dū ꝑterimus decipimur. Exem
